Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26336
Copyright: Admont, Benediktinerstift

num sit infernus superiorum. loca illa scilicet in quibus erant anime iustorum
ante aduentum xpi. abraham scilicet. ⁊ ceterorum patriarcharum. Quod in illa eu
glica parabola didicimus. quod diues in tormentis positus. oculos suos sursum
eleuasse dicitur. Qui enim oculos leuabat. super se erat quod uidere uolebat.
Quod autem infernus subterra sit corporeus diuersis instruimur exem
plis. ⁊ documentis. tamen ⁊ si quidam loca penalia prorsus esse intra denegent
⁊ querant qualiter anima que spiritus est flammis corporalibus possit detineri
⁊ comburi. Quibus obiciendum est quia animam inuisibilem ⁊ incorpoream
unusquisque in suo corpore commorari credit ⁊ intelligit. Si ergo anima in
corpore delectabiliter habitat. cur non etiam corporalibus flammis debitas pe
nas luat. Iubilare est gaudere. quasi sermo dictus est a iuuando. i. delectan
do. quando gaudium nostrum non sermonibus articulatis sed confusa uoce
proferimus. Adeps est animalium pinguedo corpulenta. Stipule sunt
folia seu uagine quibus culmus ambitur. ⁊ fulcitur ne pondere frugis
curuetur. dicta stipula quasi ustipula. quod collecta messe uritur propter
agri culturam. Aquilo dicitur quod aquas distringat ⁊ nubes dissipet. Tabor ⁊
hermon. montes sunt sirię. Tronus proprie regum est. latine sedes uel so
lium. Profanum dicitur irreligiosum. quod a fano. i. a templi reuerentia pel
lebatur. Si dicat mentiar: si per non ponitur. A sagitta. sagitta ad litteram
est quoddam genus serpentis. quod in lucano iaculum uocatur. dictum quod quid
obuium fit uelut sagitta acutissime perforet. Basiliscus grece. latine
regulus. quod rex serpentium sit. adeo ut eum uidentes fugiant. quia ol
factu suo eos necat. nam ⁊ hominem si uideat interimit. ⁊ ad eius con
spectum nulla auis uolans illesa transit. a mustelis tamen uincitur.
Est autem longitudine semipedalis. albis maculis liniatus. Insula
dicitur quod in salo posita sit. i. in mari. Effari est publice loqui ⁊ superbe.
Captabant insidiose tractabant. ⁊ captiose quomodo captarent ⁊ de